

unum conferam: ignoravit quae tabulam composuit titulum 31073 et Campanum X 4433 eundem esse; videtur olim Capuae stetisse. Porro 17858 = X 8300.

*Heikki Solin*

*Corpus Inscriptionum Latinarum*. Consilio et auctoritate Academiae Scientiarum Rei Publicae Democraticae Germanicae editum. Vol. XVII, pars secunda. Miliaria provinciarum Narbonensis Galliarum Germaniarum, edidit *Geroldus Walser*. Gualterus de Gruyter et socii, Berolini — Novi Eboraci 1986. LVI, 320 S. DM 680.—.

Post a. 1943, cum ultimus voluminis I fasciculus publici iuris factus est, nunc demum — si quosdam fasciculos indices tantum vel similia continentest et vol. IV partes quasdam excipis — prodit novus Corporis *Inscriptionum Latinarum* fasciculus, quod iam per se notatu dignum est. At huc accedit, quod non solum de novo Corporis fasciculo, sed de novo omnino Corporis volumine agitur, scil. de volumine XVII, quod lapidibus miliariis in unum colligendis destinatum est. Hic fasciculus miliaria omnia continet, quae in provinciis quattuor Gallicis duobus Germanicis tribus Alpinis reperta sunt.

Hoc in fasciculo, de quo nunc agitur, novum est, titulos — eos scilicet, qui hodie exstant — non typis, sed imaginibus ad titulum delineatis expressos esse. Earum imaginum utilitas omnibus manifesta erit. Erunt certe, qui photographicas etiam imagines se desiderare dicant; at nullo modo fieri potuit, ut omnium quotquot exstant titulorum imagines photographicae volumini adderentur; neque crediderim quasdam imagines exempli gratia electas multum utilitatis habere: certe pauci tantum hoc volumine utentur, qui miliarios lapides ipsi non viderunt.

In hoc fasciculo haud facile invenies quod vituperari possit (non ita multum placet Commodum et Getam imperatores ab editore nominibus gentiliciis omissis nude *M. Commodum* [n. 380] et *P. Getam* [n. 512] appellatos esse; ad n. 633 certe potuit addi, formam *Troianus* — pro *Traianus* — non solum in his duobus titulis n. 633. 641, sed etiam in aliis multis titulis inveniri, etiam in indicatione legionis II a Traiano imp. conditae; imp. Maximinus video *C(aium)* appellatum esse, quamquam *Cai* praenomen numquam fuit [nam C. Iulii Gaii, non Caii, Iulii erant]; sed haec minimi momenti sunt); totum opus, etiam si indicum laudabili arte confectorum et omnia notatu digna continentium rationem habueris, mihi certe ita perfectum esse videtur, ut editori huius fasciculi, G. Walser, qui cum adiutore I. König plus XX annorum laborem in hoc opus contulit, maximas gratias agere debeamus, et porro, ut omnibus rei epigraphicae studiosis manifestissimum esse debeat, ex Corpore *Inscriptionum Latinarum* refiendo et renovando, non ex minoribus libris edendis, epigraphicam disciplinam maximum fructum capere (neque tamen hoc dicere volo, titulorum editiones minoris amplitudinis utilitate omnino carere). Speremus omnes nostra iam aetate multos novos Corporis fasciculos hunc, de quo nunc agitur, secuturos esse (supplementa ad aliquot certe Corporis volumina iam praeparantur). De proximis vol. XVII fasciculis tamen ex praefatione huius operis nihil comperimus.

*Olli Salomies*